

SECVLUM  
XII.

ac statuit, nos quoque ratum habemus, videlicet, ut ecclesia ibi sita baptismalis sit & decimalis. Et ut nullus imposterum quolibet pravo ingenio possit inquietare monachos ibi degentes, constituentes confirmamus, quatenus in monte prædicto a *Beinstraffo* usque ad summitatem *Surranecco* in decimis & in parochia aliquid iuris & potestatis & requisitionis habeat, nec *Stagnensis* ecclesiae presbyter ad præsens *Chuonradus*, nec aliquis successorum eius, sed abbas eiusdem loci cum fratribus suis in præsentiarum *Frominus*, & deinceps successores eius, potestative & sine refragatione possideat atque disponat. Et ut hæc nostræ constitutionis pagina maneat in perpetuum inconvulsa, placuit eandem nostri sigilli impressione roborare. Omnibus hoc decretum scriptum servantibus pax & vita æterna a Domino concedatur: omnibus, qui hoc temerare præsumperint, & annihilare temptaverint, ira & indignatio a Deo immittatur, ut & hic a corpore Domini præscindantur, & in futuro æterno igni mancipentur. Amen. Amen. Amen.

Hoc vero privilegii statutum ego *Hermannus Constantiensis* episcopus dedi anno ab incarnatione Domini MCXLVIII. indictione X. XIII. Kalendarum Ianuarii, in ipso loco, qui est caput episcopatus mei, id est: *Constantia*.

N. XXXV. diploma vero *Henrici V.* exhibet *Herrgottus* T. II. P. I. p. 143. cui subscriptus est *Ulbricus* episcopus *Constantiensis* huius nominis I. ad quem adeo hic memorata spectare videntur,

---

N. LI.

Apographum concambii inter monasterium S. *Blasii*,  
& *Elchlingense*.

Anno 1150.  
24. Sept. Ex  
Apogr. Elch-  
ling. T. I.  
p. 428.

Nil inconsultum agere illos condecet, qui omnia sapienter fatagunt ac prudenter agere; quae vero sanioris consilii deliberatione aguntur seu acta firmanentur, ne per antiquitatem temporis irritentur, ac oblivioni tradita infirmentur, litterarum necesse est elementis ad a) posteros designare, & vera veracibus fideliter enarrare.

Notum sit igitur tam futuris quam praesentibus Christi fidelibus, quod fratres S. *Blasii*, nec non & fratres de monasterio, quod dicitur *Elchlingen*, consilio fratrum, utriusque ecclesiae utilitati prospicientium, fece-

a) Alibi in pergamaena copia habentur ad: ad posterorum utilitatem designare &c.